

*Permuta tra Enrico Ruffo
e Giorgio di mastro Sergio*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Permuta tra Enrico Ruffo
e Giorgio di mastro Sergio*

1310-10-12

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo decimo, die duodecimo mensis octobris none inditionis, apud Seminariam. Regnante Serenissimo Domino nostro Rege Roberto, Dei gratia inclito Hierusalem et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Folcaquerii, et Pedimontis Comite, regnorum suorum anno secundo feliciter Amen

Nos Ioannes de iudice Nicolao iudex Seminarie, Iacobus de notario Gregorio eiusdem terre publicus notarius, et testes subscripti ad hoc vocati et specialiter rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur quod egregius vir Dominus Henricus Ruffus de Calabria Sinopolis dominus ex una parte, et Georgius de magistro Sergius de Sinopolo ex altera, consentientes in nos predictos iudicem et notarium, tamquam in suos, cum ex certa suam scientia scirent nos suos non esse, coram exposuit voluntate infrascriptas terras eorum in hunc modum inter se permutaverunt. Unde presens dominus Henricus dedit, tradidit, et assignavit dicto Georgius, nomine permutationis eiusdem infrascripta predicta terra sua sita in loco dicto Acquaro de censualibus terrarum que dicuntur notarii Basilii de tenimento Sinopolis, propre vineam Curie que est de ipso censu quondam notarii Basilii, et prope terram Leonis Teodo, propre terram Monasterii Sancti Bartholomei dicta de Calivi, et prope terram Silipegni. Similiter predictus Georgius dedit, tradidit, et assignavit nomine permutationis eiusdem predicto Domino Henrico infrascripta petia terre sua sita in loco dicto Crima de tenimento Sinopolis que est in seminata tuminata unius, cuius termini sunt hi videlicet ab oriente est terra Pluppi, ab occidente est terra Curie predicto Domini Henrici, a meridie est terra

Constantie uxoris quondam notari Barthori Filocalo, et a sententrione est terra Mabriti de Monteleone. De qua permutatione ambe partes renunciaverunt se contentos, et una pars altera in corporale et vacuum possessionem dictarum terrarum permutatarum induxit. Dans, et concedens una pars alteri, plenam licentiam, et liberam potestate a modo ipsas terras sicut permutate sunt habendi uti fruendi, et perpetuo possidendi omni pleno dominio, et libera potestate, nec non donandi, vendendi, permutandi, locandi, alienandi, et de eis, et in eis faciendi, quicquid sue, suorumque Heredum et successorum placuerit voluntati; consentientes ambe partes se ad invicem, per stipulatione solemne presente permutatione semper firmam, et ratam habere, et nullo usquam tempore contravenire, sub pena Unciarum auri duarum Regie Curie componendarum a parte contraveniente irremissibiliter solvendarum ad quam penam dicti permutatores se sponte, et solemniter obligaverunt me predicto notario publico penam ipsam pro parte Curie legitime stipulante, quod penam soluta vel non omnia, et singula in suo valore perseverent

Unde ad futuram memoriam, et utriusque partes, et heredum suorum cautela facta sunt exinde duo publica consimilia instrumenta presens, unum et alterum similiter consimilem per manus mei predicti notarii publici, et qui suprascripti iudiciis, notariis, et testium subscriptorum, subscriptionibus roborata. Scriptum anno, die, mense, loco et inditione praemissis. Ad sunt subscriptiones iudicii et notarii nec non trium testium. [Testes qui debent opponi in fine huius contractus videlicet ego Ioanne de iudice Nicolao Iudex seculi testor; ego Fulcus de Briga testor; ego presbiter

de Diago testor, ego Bartholomeus de Lazaro testor, ego
Iacobus de notaro Gregorio qui supra terre Seminarie
pradicta scripsi et me subscripsi].